

III. Post mortem. Primo, clarent aliqui miraculis continuis, ut S. Januarius martyr Neapoli, cujus sanguis concretus cum in conspectu capitis ejusdem ponitur ebullit: similiter sanguis S. Stephani, ibid. tempore sacræ missæ: oleam de S. Walburgæ corpore per durissimum saxum fluit etiamnum Eystadii, tempore hiemali potissimum: aliis honoribus corpora et sepulera eorum claruerunt: aliorum enim diutissime servata incorrupta, ut S. Ferreoli, S. Huberti episcopi, S. Raynaldi archiepiscopi, S. Claudii, S. Sigeberti regis: aliorum corpora gratissimum spirabant odorem, ut S. Joannis Baptistæ caput, sepulcrum B. Virginis, corpus S. Severini, Marcellini, etc. alia liquorem saluberrimum fundebant, ut corpus B. Walburgæ, etc. unguentum corpus S. Nicolai episcopi: aliorum divisa corpora mirabiliter redintegrata, ut S. Stanislai episcopi, S. Edmundi regis Angliæ, etc. alii in certis necessitatibus prædicatas habent subveniendi prærogativas. Hinc in dolore dentium invocamus S. Apolloniam, cui pro Christo excussi sunt dentes: in peste S. Rochum, cujus insignis charitas in iis qui peste laborabant curandis, tota Italia celebratur: in maristempestate S. Nicolaum, qui vivens eam miraculose sedavit: in vinculis S. Leonardum qui multos victos liberavit: in morbo comitali S. Valentinum, etc.

Secundo, reliquiæ eorum maximo honore asservantur, et innumera mirabiliaque beneficia præstant. S. Antonius gloriabatur magis tunica Pauli eremite ex foliis palmarum ab ipso confecta et sibi relicta, quam purpura regia, eaque non nisi in summis festivitatibus utebatur. Imo ut S. Leo ait, in honores transferuntur triumphi instrumenta supplicii, ut catenæ Petri quæ et honorificentissime asservantur et coluntur, quibusque proprium templum extractum, proprium festum dedicatum est. Certe S. Chrysostomus eas extollit super aurum et topazion. Eadem reliquiæ a Deo illustribus miraculis sæpe patefactæ: a Christianis maxime pretio redemptæ: a regibus miro modo honoratæ: plurimis miraculis decoratæ: et proinde gravissime in contemptoribus vindicatæ.

Tertio, templa eis extracta magna, plurima vota et peregrinationes ad illa a regibus aliisque suscepta, eadem ab illis dotata, ornata, etc. Sanitates ibi recuperatæ: cerei ad eorum sepulcra accenduntur, imagines eorum in templis et privatis ædibus studiose retinentur et ostentantur. In patronos electi a regnis, ducatibus, civitatibus, monasteriis, tribubus, congregationibus, etc. Habuere præterea sectatores et æmulatores vite suæ innumeros, plurima monasteria et collegia.

Quarto, testa eis dedicata et feriæ, in iis præclaræ eorum virtutes deprædicantur: ipsi ut patroni urbium et parochiarum honorantur, invocantur.

Quinto, nomina eorum maxima solemnitate et gloria in album sanctorum referuntur et vivunt in sæculum sæculi, bubulcis etiam et pueris nota. Eadem Christianis imponuntur in baptismo, abolitis gentilium nominibus. Indita eorum nomina civitatibus, ut Sergiopoli a Sergio, Rhemis a Rhemigio, etc. navibus, campanis, cubiculis, infulis.

Quæ cum ita sint, mirum profecto est, quod plerique hominum vanitatem sequuntur et mundum, ibique gloriam consequi sperant, ubi non invenitur: paucissimi vero quærunt ubi invenitur: mira profecto cæcitas. Laborant illi, sudant, vigilant, cogitant quomodo aliquam gloriosam celebritatem nominis acquirant: et venit unus Antonius, unus Franciscus pauperculus sacco vestitus, rudis, simplex, etc. brevi tempore majorem in mundo sibi parit gloriam, quam omnes illi omni suo labore. Quam multi etiam, qui ingentibus technis, periculis, fastidiis, et laboribus ad sceptrum ascenderunt, qui nunc nesciuntur quidem? Et si aliqui illorum adhuc sciuntur, certe respectu sanctorum obscurissimi sunt, nihil sunt. Quot millia sunt hominum, qui nomen Socratis, Platonis, Aristotelis, Alexandri Magni, Julii Cæsaris, nesciunt quidem? At Petros, Paulos, Antonios, Franciscos, etc. pueri norunt, bubulci sciunt. Porrigere horum alicui imaginem Platonis, et nesciet quid sit; porrigere Petri vel Pauli icones, et statim agnoscet. Quod si nos, qui libros terimus, eas reperimus et nominamus, cum quo id honore facimus? Nullo prorsus. At sanctos nostros nonne templis, imaginibus, festis, cantibus omnique celebritate prosequimur? Nimirum qui per opes, divitias, scientias, stemma, favores, gloriam quærunt, hi omnes non super petram sed super arenam ædificant. O quam bene hoc prædixit Dominus, Matth. VII. cum ait, alios esse similes viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram: et descendit pluvia et venerunt flumina et ventus et irruerunt in domum illam et non cecidit, fundata enim erat super petram: alios vero similes vero stulto, qui ædificavit super arenam et descendit pluvia, etc. et cecidit et fuit ruina ejus magna. Itaque gloriæ fundamenta alii in divitiis ponunt et eæ nonne sexcentis modis perduntur? Alii in ædificiis, et quid facilius ruit? Alii in libris, et quid facilius, quam mittere eos in fornacem et comburere? Alii in vestibus, et quid citius inveterascit et contemnitur? Alii in dignitatibus, et quid fragilius, vanius et periculo-

sus? At sancti nostri super petram ædificaverunt in solidis virtutibus, ubi nec fures effodiunt, nec tineæ demoluntur.

Ideirco etiam dicuntur scripta illorum nomina in terris, ubi mox videlicet conculcantur et delentur, Psalm. XLVIII. *Vocaverunt nomina sua in terris suis*: et Jerem. XVII. *Recedentes a te in terra scribentur*, cum contra sanctorum nomina in cælis scripta dicantur. Unde Luc. X. dicitur: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis*.

Hinc Lazari nomen in evangelio exprimit: non item divitis epulonis, etc. quia Sapiens, Sap. X. ait: *Memoria justi cum laudibus, nomen impiorum putrescet*.

CONCIO V.

SANCTI CUR HONORANDI.

I. Ex parte Dei: 1. Quia honorantur a Deo. 2. Quia eorum honor redundat in Deum. — II. Ex parte sanctorum: 1. Quia amici Dei. 2. Quia mites. 3. Quia prius contempti. — III. Ex parte nostra: 1. Quia cedit ad honorem nostrum. 2. Quia cedit ad solatium. 3. Quia cedit ad utilitatem nostram.

THEMA.

Laudate Dominum in sanctis ejus. Psalm. CL.

Sic Deus dilexit sanctos suos, ut vix aliquid in mundo reperire sit, quod ad eorum honorem servire non voverit. Honorarunt eos angeli, qui morientibus assistere visi cum corollis, ut S. Petro; cum canticis ut S. Servulo; qui eos in cælum deducerent, ut Sanctum Martinum episcopum: honoravit cælum, quod se aperuit et aditum venientibus patefecit ad Deum videndum, ut S. Stephano et Sancto Dominico: honoravit sol, qui radios suos pro funiculo aut pertica servire eis fecit ad appendendum pallium, ut Sancto Luciano episcopo Brixienti: honoravit ignis, qui tangere illos timuit, ut S. Polycarpum et S. Cunegundam: honoravit aer, qui cælesti lumine eos circumfudit, ut Sanctum Andream in cruce pendentem: honoravit aqua quæ, vel mergere eos noluit, ut martyres quam plurimos; vel calcabilem se iis præbuit ut S. Mauro; vel in eorum gratiam abscessit ut S. Clementi: honoravit terra, quæ ob eorum merita a loco suo naturali dimota est, ut Sanctum Gregorium Thaumaturgum; vel aquæ fontem protulit, ut Sanctum Wolfgangum: honoravit pluvia, ut Sanctum Bernardum, quæ epistolam ejus sub dio dictatam nullatenus madefecit: honorarunt volucres, ut Sanctum Franciscum, in cujus manus devolarunt

et cum voluit cecinerunt: honorarunt quadrupedia, ut leones Sanctum Paulum eremitam, cum sepulcrum ei foderunt: honorarunt pisces, ut Sanctum Antonium de Padua, cum ad littus adnatarunt quasi ejus sermonem audituri: denique, ut alia præteream, honorarunt mortui, ut Sanctum Joannem eleemosynarium, cui duorum episcoporum corpora cesserunt in sepulcro. Et hæc sufficere possent ad persuadendum nobis sanctorum cultum et venerationem, quam tamen illis adimunt hæretici nostri temporis. Nimirum uti omnia elementa servitio suo testata sunt Christum venisse in mundum, sola Judæorum corda agnoscere noluerunt: ita soli hæretici sanctis honorem negant. Nos vero, auditores, cum unanimi totius universi voce veneremur sanctos, hodierno præsertim die: quod ut ferventius fiat, causas videamus.

I. Est ex parte Dei, cujus sunt amici. Nam primo, illos honorat Deus eorumque honorem tuetur. Audi Christum, Luc. XII. *Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod præcinget se et faciet illos discumbere et transiens ministravit illis*: et Apoc. III. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo*.

Et certo si adeo honorat illos in terris, ubi non sunt; quantopere honorabit eos in cælis, ubi sunt? Si tanta miraculorum gloria honorat eorum corpora, quam gloriam animabus tribuet? Scimus enim ita honorasse Sanctum Petrum, ut umbra illius sanaret ægros, Actor. V. Sanctum Paulum, ut fundaria ejus et semicinctia idem præstarent, Act. XIX. Sanctum Eduardum Angliæ regem, ut aqua, in qua manus abluerat, cæcis visum redderet, Lud. Granat. in catech. libro II. capite XXVII.

Sanctum Stephanum martyrem, ut flores de illius altari et reliquiis sublatis et sub cervicali hominis increduli, cui nomen Martialis, de civitate Calamæ positi, mentem illius imitarent, ita ut mane evigilans mox accersere sacerdotes, et Christianus fieret, ut scribit Sanctus Augustinus, libro XXII. de civit. uti et de cæca muliere, quæ ubi flores, qui tetigerant Sancti Stephani reliquias, oculis admovit, protinus vidit: Sanctum Januarium martyrem, ut quoties ejus sanguis concretus statuitur juxta ejusdem caput, liquefieri in ampulla et ebullire incipiat, ut norunt Neapolitani: Sanctum Paulum, in terra, in quam excussit serpentem, ex eo vim obtineret contra venena, ut norunt Melitenses.

Nec miuus eorum honorem tuetur contra eorumdem obtrectatores.

Id enim pro eos Zachariæ, capite II. testatur,

dicens: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* In quem locum Sanctus Hieronymus ait: « Qui sanctos Domini tetigerit sic est, quasi vexare cupiat pupillam oculi ejus, et illum nitatur clara luce privare, de qua loquitur Matth. V. Vos estis lux mundi. »

Sunt ergo ex illius sententia, sancti quasi lumen oculorum Dei. Hinc ursi dilaniarunt illos quadraginta duos pueros, qui per derisum exprobrabant Elisæo calvitiam, IV. Regum II.

Lotrices quæ desererunt Sanctum Jacobum Nisibenum, repente trācuerunt, ut in ejus vita, apud Surium in julio; contemptores Sancti Antonii toties puniti sunt divinitus, ut in proverbium versum sit: In S. Antonium neminem impune peccare, Sigebert. in chron.

Maxime vero honoravit sanctos in vitæ eorum periodo quam eis hilarem, tranquillam, solatio plenam, et miraculis atque ostentis plerumque coruscantem impertivit.

Quosdam enim morientes invisit, alios ad cælum evocavit, alios ipse excepit: Sanctæ Elisabethæ, apparens ait: Veni sponsa, cœlesti thalamo potire: beata Tarsilia moriens eundem cum videret, dicebat: Recedite, recedite, Jesus venit: Sanctus Anastasius voce cœlesti sic evocatus: Veni Anastasi: Sanctus Antonius de Padua animam agens et ad cælum oculos levans: Video, inquit, Dominum meum: Sanctus Nicolaus Tolentinas sic ab eo evocatus est: *Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui.*

Quæro igitur nunc cum Assuero: Quid fiet homini, quem rex (Deus) honorare vult? Nonne decet ut eundem honorent omnes et genuflectant coram illo?

Secundo, quia eorum honor redundat in Deum, nam honor erga gratos et benignos conservos benevolentia erga communem dominum indicium est, ait Sanctus Damascenus, libro IV. orthodox. ad capite XVI. Cum laudatur pictura laudatur et ejus auctor: cum laudatur pulchritudo creaturarum, laudatur et creator.

Unde apostolus Paulus, qui erat vas electionis, Christo de se testatur, quod in ipso Judæi clarificarent Deum, ad Galat. I. Quia nimirum audiebant illum evangelizare, qui prius expugnabat Ecclesiam.

Hæc enim mutatio de lupo in agnum, non hominis, sed dexteræ Excelsi fuit.

Igitur tantum abest, ut Deo dematur honor, cum sancti honorantur, ut potius amplificetur.

Quemadmodum enim solis lumen excellentius et majus esse dignoscitur ex stellarum quas illuminat claritate et pulchritudine: ita sanctorum

splendor infinitam Dei claritatem et gloriam arguit, a qua ille procedit.

Hinc uti sole appropinquante stellæ se occultant ob præsentiam excedentis luminis: ita sancti coram Deo accepta ferunt.

In hujus rei indicium visi sunt Joanni, Apocal. IV. viginti quatuor seniores procidere ante sedentem in throno, et mittere coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia, etc.

Non erramus igitur, quando sanctos honoramus, quia hoc ipso Deum honoramus.

Alexander M. cum Darii uxor captiva salutasset honore exhibito Hephæstionem pro Alexandro, et cognito errore pudieret, dixit: *Non errasti, et ipse Alexander est,* Plutarchus, in Alexandro. Nimirum is honorem, duci et amico suo exhibitum suum reputavit. Ita omnino honorem, quem sanctis Dei amicis impendimus, Deus suum reputat.

II. Secunda est ex parte ipsorum sanctorum. Primo, quia ad immensam dignitatem evecti sunt.

Sunt enim amici Dei et principes in regno Dei. Audi Psalmo CXXXIX. Davidem: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.*

Quemadmodum ergo Josephum adorarunt fratres, quia videbant eum principem in Ægypto et in manum ejus omnia a Pharaone tradita; ita multo æquius veneramur sanctos, qui amici Dei sunt et principatum in regno ejus obtinuerunt.

Quis non honorat magnatem regis, qui regio stipatus satellitio incedit? Fiunt autem sancti quasi deiformes ex visione et unione Dei, juxta id S. Joannis: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Audi Cyprianum de singular. clericor. « Sicut modica aquæ gutta, inquit, multo vino infusa a se tota deficit, vinique saporem et colorem induit: ferrum candens pristina propriaque forma exiit et igni simillimum efficitur: solis radio aer perfusus, in eadem transformatur luminis claritatem: speculum radiis solaribus directe irradiatum solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse solem: ita etiam sancti et beati, Dei charitate in intimis suis totaliter penetrantur, sicque deiformes effecti in Dei similitudinem transformantur. » Sic Cyprianus.

Secundo, quia dum viverent, strenui milites fuerunt, et nunc victores in cœlo triumphum agunt. Honoramus peregrinos, cum e terra sancta per tot maris et terræ pericula ad nos redeunt:

honoramus strenuos milites cum e pugna victores veniunt.

Ita enim David post devictum Goliathum a mulierum choro solemniter exceptus est, I. Reg. XVIII. atqui longo difficilior certamina et majora pericula evaserunt sancti Dei, et potentiores hostes devicerunt.

Unde de illis ait quidam de senioribus ad Joannem, Apoc. VII. *Hi, qui amici sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt?* Cui Joannes: *Domine mi tu scis.* Tum senior: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient neque sitient amplius, etc.*

Tertio, quia prius in mundo contempti et despecti habiti fuere et quasi purgamenta, quibus sublatis mundum purgari putabant impii: unde apostolus, I. Cor. IV. ait: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema.*

Debet igitur hic eorum contemptus et despectus habiti fuere et quasi purgamenta, quibus sublatis mundum purgari putabant impii: unde apostolus, I. Cor. IV. ait: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema.*

Debet igitur hic eorum contemptus et despectus habiti fuere et quasi purgamenta, quibus sublatis mundum purgari putabant impii: unde apostolus, I. Cor. IV. ait: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema.*

Ita S. Alexii contemptum, quem in paterna domo a propriis famulis ignotus annis septemdecim pertulit, consecuta est ingens gloria; nam Dei voce de altari audita celebratus est, qui prius latuerat: Quærite hominem Dei ut oret pro Roma: et iterum: In domo Euphemiæ quærite.

Vultus ejus, velut alicujus angeli radiabat, sepulcrum ejus odoris fragrantiam spirabat, qui prius in sordibus jacebat. Pontifex Innocentius una cum imperatoribus Arcadio et Honorio propriis manibus gestabant ejus corpus in feretro ad sepulcrum.

III. Tertia ex parte nostra. Primo, quia illorum cultus et honor cedit etiam ad honorem nostrum: cum sint parentes, fratres, sorores nostræ. Quid civitas non extolleret civem suum, si videret eum ob virtutes suas provectum ad principatum aut episcopatum? Quam honorifice de illo verba faceret! Quam libenter audiret ejus præconia! Quam gloriosum est familiæ cum ex ea canonizatur aliquis sanctus!

Secundo, quia cedit ad solatium nostrum. Si enim homines mortales nobis similes potuerunt per sua merita ad tantam gloriam ascendere: cur

non possimus et nos? Una et eadem Ecclesia unus et idem exercitus est triumphantium et militantium. Illi cœli muros ascenderunt, jam ascenderunt, jam vexillum in iis explicant, jam cœli regiam occuparunt; nos ergo sequi non poterimus?

Tertio, quia cedit ad utilitatem nostram. Nos enim illorum egemus opera, quam hujusmodi obsequiis promereri possumus. Non indiget dives ut invitetur ad convivium a paupere, sed indiget hic illius benevolentia: quam sibi ejusmodi invitatione quærit conciliare. Hunc in modum non indiguit Christus hospitio Zacchæi: sed indiguit Zacchæus Christo hospite: ideo dixit Dominus: *Hodie in domo tua oportet me manere.* Hinc Augusta Maximi imperatoris conjux vix summis precibus, velut maximum beneficium, impetravit a S. Martino episcopo, ut ei propriis manibus convivium apparare et pro ancilla ministrare posset, Baron. anno 386. Cum enim sancti omnes magni Dei amici sint ejusque voluntatem quodammodo in manu sua habebant, juxta id Psal. CXIV. *Voluntatem timentium se faciet.* Hinc qui aliquem sanctum sibi benevolum habet, Deum habet. Audi quid dixerit Deus ad servum suum Abraham, tametsi adhuc viventem, Gen. XII. *Benedicam benedicientibus tibi, inquit, et maledicam maledicentibus tibi.* Rursum si Christo fit, quod uni ex minimis ejus fit, ipso teste; quanto magis, quod uni ex maximis ejus.

Denique, hi sunt, qui in die judicii cum Christis judicabunt, et ut Malachiæ IV. dicitur: *Calcabunt impios.* Quis autem non omnibus officiis colat et honoret eum, a quo aliquando judicandus est de vita et fortunis omnibus?

CONCIO VI.

QUID DEBEAMUS SANCTIS, IMPRIMIS ECCLESiarUM
NOSTRARUM PATRONIS.

I. Invocationem. — II. Imitationem. — III. Cultum

THEMA.

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei. Hebr. XIII.

Scribit Vincentius Bellovacensis episcopus, in speculo historiarum, aliquando in Æthiopia invaluisse pestem ex cadaveribus occisorum prognatam, quæ adeo afflixit hominum memorias, ut parentum ac filiorum adeoque sua ipsorum nomina obliviscerentur. Grave malum, auditores, quod a nobis Deus avertere dignetur.

At vero ista pestis passim adhuc grassatur. Multi enim sunt, qui parentum obliviscuntur carnalium et spiritualium; carnalium, a quibus mundo; spiritualium a quibus Christo nati sunt, vel sub quorum præsidio adhuc vivunt; cujusmodi patres sunt sancti, Ecclesiarum imprimis patroni. Ita enim S. Leo in serm. de apostolis Petro et Paulo, Romæ dicit: Isti sunt sancti patres tui verique pastores. Istos igitur patres fere obliviscuntur homines, nec attendunt a quibus Christo geniti sint, vel sub quorum tutela vivant, ita ut interdum neque nomina quidem illorum sciant. Nascitur etiam hæc oblivio, ut opinor, ex ossibus sanctorum quod ab illorum morte vel martyrio multum temporis elapsum sit: sed revera prava est hæc oblivio, mala pestis, quam amoliri conatur S. Paulus cum ait ad Hebr. XIII. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Superest igitur, ut videamus quid sanctis debeamus, maxime patronis nostris.

I. Debemus illis invocationem, ut in nostris necessitatibus ad eos velut ad nostros tutores et advocatos recurramus. Ipsi enim sunt præpositi civitatum, ædium, agrorum et finium nostrorum, corporum denique et animarum. Abraham a victimis suis abigebat volucres, ne eas læderent aut devorarent, Gen. XV. ita patroni Ecclesiarum servant et tuentur a dæmonibus aliisque hostibus animas sibi commissas, quas Deo veluti victimas offerre et repræsentare moliuntur.

Ipsi lares nostri sunt, verius quam illi gentium, quos Romani vel cum cane, vel canis figura efformabant et pelle canina tegebant, quod cum domus cura eis commissa crederetur, convenire existimabant, eos alienis terrori, domesticis autem mansuetos esse, qualis est natura canum, Plut. teste. Sed ad hoc obtinendum invocare illos debemus, sic enim a nobis honorantur, dum veluti potentes et magni Dei amici in auxilium vocantur.

Sane gentiles ponebant in ædibus suis lares suos eisque sussitum adolebant et cereos accendebant, S. Hieron. in Isai. LVII. et Alexand. ab Alex. lib. V. genial. cap. XXIV. scilicet ut hi tam ædes, quam incolas defenderent et fortunarent.

Multo rectius et æquius veneramur et invocamus nos sanctos nostros tutelares ad benedictionem tam temporalem quam spiritualem impetrandam. Fecere hoc olim communiter Christiani, ut in periculis recurrerent ad patronos urbium seu Ecclesiarum suarum. Cum fœda quædam lues grassaretur apud Treviros, S. Nicetius eorum

episcopus non desiit implorare suffragium patronorum urbis SS. Eucharii et Maximini; factumque ut aliquando noctu terribilis audiretur fragor supra pontem Mosellanum, ita ut dormientes omnes excitarentur et sedentes exitium præstolerentur.

Tum audita vox quorundam, qui juberent socios abscedere ab urbe, siquidem ad unam ejus portam excubaret Eucharius, ad alteram Maximus, in medio vero perambulare Nicetius, ab his se impediri, quominus urbi nocere queant. Quo facto mox cessavit lues, Sur. in vita S. Nicet. 1. oct. Ita cum in Valeriæ provincia Longobardi monasterium S. Equitii invasissent, et monachos extrahere ad necem conarentur, fugerunt illi ad sepulcrum S. Equitii et dixerunt: Heu, heu Sancte Equiti, placet tibi quod trahimur, et non nos defendis? Ad hanc vocem protinus sævientes Longobardos spiritus immundus invasit, S. Greg. lib. I. dial. cap. IV. Sic Neapolitanos defendit contra hostes Sanctus Januarius eorundem patronus; Turonenses S. Martinus; S. Rhemigijs Rhemenses a lue.

Contra non potest non vehementer displicere sanctis illis patronis, si in necessitatibus non invocentur, aut relictis ipsis parochiani ad opem dæmonis recurrant; quo casu merito exprobrare nobis possunt id Jer. VIII. *Numquid resina non est in Galaad? Aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filix populi mei?* Galaaditæ excelluerunt in arte medica ob simplicia quæ habebant præstantissima: ita ss. martyres apud Deum plurimum possunt suis orationibus ad succurrendum nostris calamitatibus: « Nam, ut inquit S. Chrysostomus, sermone in SS. Juventinum et Maximum, in manibus absecta capita gestantes et in medium afferentes, quæque voluerint, apud Regem cælorum impetrare possunt. Proinde magna fide promptitudineque huc veniamus, etc. »

II. Imitationem: *Tunc enim pro nobis absque ulla dubitatione sancti martyres intercedunt; quando in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt,* ait S. Augustinus, serm. CCXLIV. *De temp.* Ratio est, quia dum eorum vitam in nobis depingimus, sanctitatem eorum extollimus et ipsi assimilamur. Et certe non solum ideo nobis dati sunt, ut patroni nostri essent, sed etiam ut magistrum morum et exemplaria virtutum. Ponuntur enim velut lucernæ super candelabrum, ut omnes, qui ingrediuntur ecclesias, videant hæc lumina. Hinc crebro a parentibus nomen sancti tutelaris liberis inditur, ut per hoc incitentur ad amorem et imitationem illorum.

Propterea oportet legere crebro sanctorum

gesta maxime tutelarium, vel si quis legere nesciat, aliunde intelligere; ut ad eorum vitam suam quisque componere possit. Cur enim sancti nobis a Deo dati, nisi ut lucerent nobis virtutum splendore, sicut stellæ in caliginosa nocte? Talis Joannes Baptista erat: *Lucerna ardens et lucens,* Joan. V. et illi ad Philip. II. de quibus apost. *Lucetis sicut luminaria in mundo.* Hæ lucernæ condemnabunt nos aliquando si prorsus eis dissimiles fuerimus, juxta id Jeron. I. *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Dicit enim reprobus Christus judex: *En dedi tibi hæc exempla piorum quasi faces quas sequereris: tu vero maluisti tenebras et opera tenebrarum sequi, quam lumen.* Vide quam tua opera, quam tua vita difformis sit vitæ S. Pauli, S. Francisci, S. Dominici, etc. Si respondeas: Domine non potui servare castitatem, quia natura et consuetudine nimis proclivis eram in libidinem; arguet judex: *Mentiris.* Nam S. Augustinus in libidinem propensissimus, eam vicit per meam gratiam; vicit Magdalena; vicit Pelagia; vicerunt illi innumeri: ergo et tu tuam proclivitatem vincere potuisti per eandem gratiam, quæ tibi vel obtuli vel præparavi, ac reipsa dedissem, si eam humiliter et instanter postulasses, eique strenue fuisses cooperatus. Quis hoc Dei scrutinium non expavescat?

Dicunt vel saltem cogitant plurimi, quod dixit Balaam de Hebræis: *Moriatur anima mea morte justorum et fiant novissima mea horum similia.* Recte habet, sed si volumus morte sanctorum mori, studeamus etiam vita illorum vivere.

III. Cultum et honorem. Quem primo, exhibebimus si sacras eorum ædes, sarta tecta conservaverimus, et pro facultate nostra adornaverimus; quod quidem jure merito eis debemus. Primo, quia per hoc crescit devotio populi, qui allicitur ad frequentationem templi: contra vero avocatur cum inculta et neglecta sunt templa. Quis enim afficiatur erga ejusmodi templa, quæ culinæ aut horreo, quam templis similia sunt? Quis nescit magis adiri ab hospitibus hospitia splendida, quam inculta? Quod si grande fuisse dicitur peccatum filiorum Heli, quia detrahebant homines sacrificio Domini, ut dicitur I. Reg. II. timendum ne etiam nobis in peccatum reputetur, si per neglectum templi, homines detrahantur sacrificio Domini.

Secundo, quia iniquum et indecens est, nos attendere ad ædes nostras tantum, ut sarta tecta, splendida et superba suppellectile adornata sint, negligere vero domum Dei et patroni nostri. Sancto Ignatio Loiola Venetijs aliquando sub dio pernoctante in foro S. Marci, Marcus Antonius Trivisanus senator Venetianus, vocem audivit in-

crepantem: *Ergone tu in lecto molli quiescas, et famulus meus, noctem sub dio traducat?* Ad hanc vocem continuo exurgens vir clarissimus, eo, qui vocaret, ducente incidit in Ignatium, et hunc deductum in domum hospitaliter excepit, hist. soc. tom. I. lib. I. n. XXXV. Quid si possit Deus idem nobis objicere? Videmus enim patronos sanctos sæpe male hospitari, et quasi sub dio jacere; dum interim civium quisque ad suas ædes ornandas et cumulandas solertissime attendit. Non ita S. David, qui videns arcam fœderis male, se vero optime habitare, dixit ad Nathan: *Videsne quod habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium?* II. Reg. VII. unde et mox reponere cepit ingentem thesaurum pro ædificando templo, I. Paral. XXIX. Juravit etiam et votum vovit Deo Jacobi: *Si introiero in tabernaculum domus meæ; si ascendero in lectum strati mei; si dederò somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob? templum videlicet,* Psal. CXXXI.

Tertio, quia si beneficia a sanctis accipere volumus, prius eos colere, et quantum hic possumus beneficiis prævenire debemus. Id videre est, IV. Reg. IV. ubi Elisæus sæpius transivit per Sunami civitatem et comedit panem apud quamdam viduam, nihil tamen ei rependisse legitur, nisi postquam hospitatus ab ea exceptus fuit. Quando enim ea dixit ad virum suum: *Animadverto quomodo vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter; faciamus ergo ei cœnaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum et mensam et sellam, et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi.* Postquam etiam Elisæus divertit in hoc cœnaculum et requievit ibi, tunc inquam aperuit sinum liberalitatis et gratitudinis suæ, promittens se impetraturum mulieri gratiam, quam vellet apud regem, et mox impetravit ei filium apud Deum. Ita igitur et sancti, postquam eis honorifica extruimus tabernacula et quæ ad illa spectant liberaliter conferimus, tunc ostendunt absque dubio reciproci beneficiis obsequium id sibi gratum fuisse. Et quid isti non possunt impetrare nobis apud Regem cœli? An forte passuros existimamus, ut a nobis vincantur beneficiis? De S. Evortio episcopo Aurelianensi legimus, apud Surium, 7. sept. quod cum templum ejus urbis angustius esset, monitum ab eo populum, ut nummos contribuere pro templi dilatatione, responderet omnes: *Fiat voluntas Dei.* Cum ergo opus inchoarent, et episcopus pro more ejus provinciæ, ligone crucem faceret et foderet ad tres pedes, invenit ollam bene clausam plenam Neronianis denariis. Hanc ergo per diaconum misit

ad imperatorem, quod illi deberi videretur. Sed imperator et thesaurum episcopo pro templi structura perficienda non solum remisit, sed etiam duplo tantum addidit, et templum augustissimum fieri præcepit, grandiaque donaria addidit, nec non incolas ejus ditionis ad triennium a censibus honorum suorum exemit: quo facilius intendere ecclesie structurae possent. En quanta hic remuneratio!

Secundo, si in eorum templis nihil indignum commiserimus aut tulerimus. Ipsi enim similem zelum gerunt erga domos suo nomini dicatas; qualem Christus gessit erga domum Patris sui, cum inde flagello eiecit ementes et vendentes. De S. Michael archangelo legimus, in breviario, in ejus apparitione, quid egerit in defendenda spelunca quadam Montis Gargani. Cum enim ibi taurus ex armento perditus hæret in ostio speluncæ, et repertum quidam sagitta configere vellet, sagitta in ipsum jaculatorem retorta est. Unde alii tanto sunt correpti timore, ut ad eam speluncam nemo accedere propius auderet. Post triduum monuit S. Michael episcopum Sipontinorum, a se id factum esse, locumque in sua tutela esse, et velle ibidem cultum Deo in sui et angelorum memoriam fieri. Non minori zelo præsentent ss. patroni Ecclesiis suæ tutelæ commissis, voluntque eas ab omni re profana liberare, soli Dei cultui reservari: futuri alioqui vindices in eos, qui ecclesias eorum profanis et hostilibus injuriarum telis impetunt. Petit ergo patronus primo a clero et sacerdotibus, ut sedulo absque mortali peccato in templo conversentur, ac res divinas peragant, memores illius: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*, Jerem. XLVIII.

Secundo, a cantoribus ut graviter et bene cantent, suis erroribus alios non perturbent aut inconcinnis clamoribus: profanis cantionibus absteineant: rei interim divinæ attendant.

Tertio, ab ædituo, ut omnia munda servet, et decorem domus Dei amet, ante s. eucharistiam reverenter stet et transeat, non uti cereus paschalis, qui se flectere nequit: templum a canum ingressu servet, etc.

Quarto, a scholaribus, ut ne suo garritu fastidium aliis creent. Legimus S. Bernardum muscas quæ sonitu suo molestabant homines in templo, excommunicasse et mane omnes repertas esse mortuas, lib. I. vite, c. XI. viderint ergo garruli.

Quinto, a magistratu, ut diligentius quam subdit, rei divinæ intersint in exemplum illorum.

Sexto, a civibus, ut ne tardius huc convenient, aut omnino sedilia vacua relinquunt, quasi tem-

pla pro hirundinum nidis extracta sint: ne ebrii aut dormituri veniant.

Septimo, a mulieribus, infantes non ferant, multo minus catellos Melitæos.

Octavo, a mendicis, ut ad januam quieti sint, et rei divinæ attendant.

Quæ nisi observentur, haud inulta sinent patroni ecclesiarum, sed velut jacula in se emissa retorquebunt in auctores, siquidem ecclesia, ut ait S. Chrysost. hom. XXXVI. in 1. ad Cor. non est tonstrina, aut unguentaria taberna, aut officina forensis; sed locus angelorum, locus archangelorum, regia Dei, cælum ipsum. Hic nihil nisi sancta sonare decet: et acrius, hom. XL. ad pop. «Quod fulmen, inquit, non torquetur, non tantum in istos, verum et in nos, nonne mirandum? Sunt enim ista fulmine digna. Adest rex, exercitum recenset, tu sub illius oculis stas ridens et risum despicias?»

Tertio, si imagines, festa, reliquias eorum magno honore coluerimus, Deoque gratias egerimus, quod eos ab æterno ad salutem et gloriam prædestinarit, et suis jam itineribus perduxerit; si Deum rogaverimus ut illorum virtutes mundo innotescant, honorque propagetur; si quantum potuerimus, ipsi propagaverimus.

Quarto, si ad honorem illorum mortificatione aliqua nos ipsos affecerimus; veluti jejuniis, vel eleemosyna: præsertim si ad honorem hujus vel illius sancti petentibus in eorum nomine nihil denegaverimus; id quod in more habuit S. Eduardus Anglorum rex, qui nulli petenti in nomine S. Joannis evangelistæ aliquid denegabat; hunc enim post apostolorum principem S. Petrum arctius diligebat. Unde contigit, quod quidam peregrinus absente camerario, in nomine S. Joannis evangelistæ importune a rege eleemosynam postularet, cui rex pretiosum anulum, cum nihil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post hæc duos Anglicos, ad adorandum Salvatoris sepulcrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam a publica strada declinantes de via quaque sectati sunt, et sole ruente nox obscura adducta est. Et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad civitatem eduxit. Susceptis autem hospitio, mensa parata, lautissimeque refecti dant membra quieti. Mane autem facto, egressis illis de civitate ait senex: «Viri fratres cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis: quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, et ego ob amorem regis vestri in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum apostolus Christi Joannes, qui regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo anulum, quem

mihî in habitu peregrino apparenti tribuit, reportare, denuntiantes ei obitus sui instare diem: quem infra sex menses visitabo, ut mecum sequatur Agnum quocumque ierit. His dictis disparuit, et illi ad patriam prospere redeuntes, quæ viderant et audierant regi seriatim retulerunt, » ita Ealredus abbas, in vita ejus apud Surium, 5. jan.

CONCIO VII.

DESIDERIUM COELESTIS PATRIÆ ACCENDITUR.

I. Excitat nos cæli hujus amenitas. — II. Beatorum societas. — III. Vita beata. — IV. Jus nostrum ad cælum. V. Cur beatitudinem coelestem tam frigide desideremus: 1. Ob modicam fidem. 2. Ob nimias sæculi occupationes. 3. Ob metum judicii. 4. Ob difficultatem viæ.

THEMA.

Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Matth. V.

Mirum est, auditores, si nos hoc sacro die omnes quotquot sumus evolare desideremus ad Ecclesiam triumphantem et coelestem Hierosolymam, ubi omnes sancti majores, et parentes nostri immensis bonis affluunt. Sed quis dabit mihi pennas, inquires, et volabo et requiescam? Faciam, quod petis et expediam tibi currum igneum Eliæ, ut cum illo possis eo saltem evehi, ubi terrena tibi sordeant, et coelestia sola sapiant. Ignei hujus currus ignei equi ardentia desideria patriæ coelestis, quæ nos saltam animo evehent ad cælum. Verum quia currus quatuor rotis indiget, etiam has dabimus, eruntque quatuor considerationes ad hoc desiderium inflammandum necessariae. Quænam vero illæ? Audiamus.

I. Excitat nos cælum hoc, quod videmus amenissimum, vastissimum, lucidissimum. Et si coelestis illa regio extra tam speciosa est, qualis erit intra? Quam speciosa foret illa urbs, quæ totam regionem occuparet totaque niteret instar palatii regii; vel sicut Roma sub Augusto, vel Hierosolyma sub Herode, vel Babylon sub Nabuchodonosore? At cælum domus et civitas Dei est, ideoque sine comparatione speciosius esse debet. Quis ad domum istam non aspiret? S. Augustinus tria fertur optasse conspiciere in mundo, Romam triumphantem, Paulum concionantem et Christum in carne ambulantes, ut scribit Ravisius, Lipsius et alii. Quanto potius optamus videre oculis nostris Ecclesiam triumphantem, et in ea Christum cum Paulo et aliis innumeris

sanctis? Quod si solius firmamenti aspectus animavit martyres, ut tormentis omnibus posthabitis sanguinem profundere et mori non dubitarunt, quid si vidissent cælum empyreum? Ita Symphorianus adolescens cum sub Aureliano imp. ad martyrium raperetur, et mater ei diceret: *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cælum suspice, et ibi regnantem intueri*, cervicem fortiter obtulit carnifici. Similiter II. Macch. VII. cum mater adolescentiori filio ad supplicium raptò diceret: *Peto a te nate, ut aspicias ad cælum et terram, etc. ita fiet, ut non timeas carnificem illum*, fortiter et ipse occubuit. Cur non ergo et nos mori desideremus, ut a terra tam sordida expediti, cælum tam delectabile intremus; præsertim quia ad id creati sumus, ibique patriam nostram habemus? Empedocles philosophus cur viveret, rogatus: *Ut cælum*, inquit, *aspiciam: tolle cælum et nullus ero*. Verius Christianus vivit non idcirco tantum ut aspiciat cælum, sed ut consequatur etiam. Aspice terram et compara cum cælo: quam ea exilis, angusta, sordida, egena est? In ejus enim angustiis nos invicem premimus, impedimus, opprimimus, exturbamus, velut vasa in domo figuli coacervata quæ faciunt sibi invicem angustias. Merito igitur exclamamus cum S. Ignatio Loiola cælum aspiciente: *Heu quam sordet tellus cum cælum aspicio!* Quidni igitur libenter punctum hoc terræ computabimus cum cælo?

II. Societas sanctorum. Quantus enim illorum numerus? Quanta omnium nobilitas, perfectio et sanctitas? Quanta inter eos discretio, et varietas? Quantus ordo et concordia? Jam si ad unum Salomonem ob famam sapientiæ venit regina Saba maximo itinere; si ad unum Antonium eremitam, ob famam sanctitatis multi undique homines, ipsique imperatores ambiebant ejus amicitiam; si ad unum Benedictum ob similem causam venit rex Totilas, etc. quid erit videre tot sanctos in cælo, gloria, sapientia, virtutibusque omnibus conspicuos? Ælian. l. XIII. narrat Cercidam Megapolitanum ægrum interrogatum, num libenter moreretur, respondisse: «Quidni? Delector separatione animæ a corpore, quoniam ad eas oras ascendam, ubi videbo ex philosophis Pythagoram; ex poetis Homerum; ex musis Olympum, et alios viros in omni scientia præstantissimos: » et Socrates aiebat: «Quanti æstimatis colloqui in altera vita cum Orpheo, Musæo, Homero, Hesiodo? Quanta voluptate perfundar, cum Palamedem, cum Ajacem, cum alios judicio iniquorum damnatos, conveniam? Equidem sæpe excedere e vita, si fieri posset, vellem, ut quæ dico possem invenire.» Multo solidiore ac certiore spe cogitare hoc Christianus de sanctis in cælo regnantibus

potest. « Ibi hymnicidi angelorum chori (inquit S. Greg. ho. XIV. in evangelia): ibi societas supernorum civium: ibi dulcis solemnitas a peregrinationis hujus tristi labore redeuntium: ibi providi prophetarum chori: ibi iudex apostolorum numerus: ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, tanto illic lætior, quanto hic durius afflictus: ibi confessorum constantia præmii sui perceptione consolata: ibi fideles viri, quos a virilitatis suæ rubore voluptas sæculi emollire non potuit: ibi sanctæ mulieres, quæ cum sæculo et sexum vicerunt: ibi pueri, qui hic annos suos moribus transcenderunt: ibi senes, quos hic et ætas debiles reddidit, et virtus operis non reliquit. Quæramus ergo fratres charissimi hæc pascha, in quibus cum sanctorum civium solemnitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festivitas invitet. Certe sic ubi populus nundinas celebraret, si ad alicujus ecclesiæ dedicationem denuntiata solemnitate concurreret, festinaremus omnes simul inveniri, et interesse unusquisque satageret: gravi se damno affectum crederet si solemnitatem communis lætitiæ non videret. Ecce in cœlestibus electorum civium lætitia agitur, vicissim de se omnes in suo conventu gratulantur, et tamen nos ab amore æternitatis tepidi, nullo desiderio ardemus, interesse tantæ solemnitati non quærimus, privamur gaudiis et læti sumus. » Hæc Greg. Et S. Cypr. tract. de mortalitate: « Magnus, (inquit,) illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos turba desiderat, jam de sua immortalitate securam et adhuc de nostra salute sollicitam. Illic apostolorum gloriosus chorus; illic prophetarum exultantium numerus; illic martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus; triumphantes illuc virgines, quæ concupiscentiam carnis continentiae robore subegerunt, etc. » Jam si aspiciamus homines, quibus cum in terra degimus, si consideremus eorum depravatos mores, ferociam, falsitatem, perfidiam, invidiam, etc. annon merito dicere poterimus cum S. Jobo, c. XXX. *Frater fui draconum et socius struthionum*, quasi diceret: Habitavi inter eos, qui aperte, et qui clanculum mali erant? Annon exclamare cum Davide, Ps. CXIX. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar*, id est, cum barbaris et effleratis gentibus, quæ non habitant in civitatibus, sed in tentoriis rusticis et nigris, quales sunt Arabes peregrinis insidiantes; vel cum iis, qui habitant in tenebris et speluncis (Cedar enim nigredinem et tenebras significat); quid enim mundus iste nisi tabernaculum rusticorum, et tentorium prædonum, vel spelunca Arabum, ubi

alter altari insidiatur, nocet, comparatus ad mansiones cœlestis Hierusalem.

III. Vita illa vera seu beata. Quæ primo, includit omne bonum et excludit omne malum: secundo, includit perennitatem nunquam finendam. Vita autem illa consistit essentialiter et primario in visione et amore Dei, quo utroque velut brachio Deum comprehendemus et amplectemur, nobisque uniemus summum bonum; secundo et accidentaliter consistit in aliis bonis, partim animæ, partim corporis, veluti cum imprimis considerat anima seipsam et statum suum, angelorum studium et industriam in ordinandis motibus cœlestium orbium, generationem et corruptionem rerum, hominum studia et curas, sanctorum merita et coronas, etc. Ibi sancti omnes æternum satiabuntur, æternum lætabuntur, et canent Deo laudes perenniter, prout poterunt singuli melius et melius, veluti aviculæ in aere circumvolantes et modulantes, sine fastidio, sine defatigatione: vicissim Deus laudabit, et commendabit eos tamquam filios et amicos suos obsequentes et fideles. Illi projicient coronas suas ad thronum Dei, et Deus eas reponet in capite ipsorum, et ita hoc mutuo bonorum certamine se æternum oblectabunt.

Jam vero: « Temporalis vita, inquit S. Greg. ho. XXXVII. in evang. æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? » Non est ergo hæc vita vera, primo, ob infinitas miseras et ærumnas animæ, et corporis, pericula item peccandi, et perpetuam carnis cum spiritu luctam; ob quæ omnia exclamavit apostolus ad Rom. cap. VII. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Secundo, quia mortalis est; quod autem finem habet, non caret anxietate. Denique, qui brevis et incerta: ob quam causam benedixit Euripides poeta tragicus: *Quis novit autem an vivere hoc sit emori? An emori hoc sit, quod vocamus vivere?* Recte aio, quia ab Archelai regis cœna domum hospitem repetens, canum morsibus laniatus obiit, Val. Max. lib. IX. cap. XII. Intuetur igitur vitam mortalium; quot ea miseris et calamitatibus obnoxia? Quot ærumnis referta? Quantæ paupertati in omni genere rerum ad vitam necessariorum subjecta? Modo eam infestant bella, modo fames, jam pestilentia et morbi: quid dicam de internis plagis, et lucta spiritus cum carne? Denique, quantumcumque alicui bene sit, cum attendit se moriturum, mox sentit amaritudinem. Mors igitur est vita nostra, quia quantum in dies nascimur, tantum in dies et morimur, perpetuoque fluxu sicut aqua dilabi-

mur, ac veluti unda undam pellimus nos ad mortem. Ergone fieri potest, ut aliquis in hoc misero et ærumnoso mundi carcere ita vivere velit, ut ex eo quotidie evolare non desideret? An nescimus quanto desiderio et conatu evadere e carceribus et servitute Turcica querant captivi? Quando periculo, quanto molimine et cum corporis læsione sæpe elabuntur: quia nimirum vitam illam carceris ærumnosam experiuntur? Et quid est aliud vita hæc mortalis nisi vita carceris?

IV. Jus municipatus, quod habemus in cœlesti civitate. Hoc enim testatur apostolus ad Philip. III. dicens: *Nostra autem conversatio in cœlis est*, Tertullianus legit: *Noster municipatus in cœlis est*. Attende ad aviculas in caveis inclusas, quæ, quia ad libertatem et volandum in aere natæ sunt, nunquam interquiescunt, quin huc illud saliendo exitum requirant et elabi conentur, licet eis victum affatim suppedites. Sunt enim cives quasi aeris, seu ut vocantur a Domino: *Volucris cœli*, non terræ aut cavearum. Rob. Holcot, in I. Sapientia, lect. CXLIV. refert avem paradisi quamdam esse, quæ alioquin optime canit, capta vero incessanter gemit, donec dimittatur. Jam vero nos ejusmodi aves sumus, ad cælum et paradysum natæ: quomodo ergo cantabimus canticum Domini in terra aliena, et mundi hujus exilio? Quomodo e cavea corporis nostri eluctari non conamur? Quomodo tam exiguo bonorum hujus exilii pabulo inescati obliviscimur patriæ nostræ?

Ejusmodi aves paradisi fuerunt omnes sancti, cum adhuc in terris degerent. Imprimis S. Joannes evangelista, qui senio jam confectus clausit Apocalypsin his verbis: *Veni Domine Jesu: deinde, Sanctus Paulus ad Philip. I. dicens: Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo: S. Martinus, qui jugiter aspiciebat cælum, ut vulgo *suspeæ cœli cognominaretur: S. Antonius, qui eodem vestigio sæpe consistens, cælumque aspiciens occidentem solem vidit et orientem: S. Franciscus, qui tam affectuose cælum nonnunquam intuebatur, ut corpore a terra elevatus mentem sequi videretur: S. Ignatius Loiola, qui de nocte cælum in oratione contemplans solitus erat dicere: Heu quam sordet tellus, cum cælum aspicio! S. Maria de Oegnes, quæ accepto divino responso, ituram se in Sancta sanctorum, jubilans et exultans famulæ suæ Clementiæ identidem dicebat: *Ibimus in Sancta sanctorum, dulcissima Clementia.***

Accedit denique sanctorum desiderium, quod nos expectant, et ad se venire cupiunt. Videre enim eos mihi videor, veluti pisces illos in navi Christi et Petri constitutos qui cum ingen-

tem piscium multitudinem in alto mari, conclusisset, annuerunt sociæ navi in littore adhuc alligatæ, ut veniret ad capturam communionem, Luc. V. sic enim sancti, quia tantum gloriæ pondus in cælo cœperunt, ut superabundent, vocant nos in societatem suam et bonorum communionem.

V. Sed quid est, auditores, quod nos cœlestis illius patriæ nostræ, et societatis sanctorum desiderio tam parum afficiamur? Cur terram tam ærumnosam, cælo: exilium patriæ præponimus? Nimirum causa et primo modica fides: terrena enim bona videntur, cœlestia non item. Sed quam clare hac de re loquitur Scriptura sancta, quam graviter? Quam sincere? Quod testes hoc confirmarunt, et suo sanguine subscripserunt?

Secundo, occupatio nimia in rebus terrenis conquirendis, quæ spatium cogitandi de cælo hominibus non relinquit: sicut Hebræi operibus luti occupati non cogitabant de terra promissa adeunda et possidenda. Ita nimirum semen istud beatitudinis suffocatur a spinis curarum hujus mundi: annon vero hæc digna commiseratione est, quod miseri mortales operibus luti intenti obliviscantur terræ fluentis lacte et melle?

Tertio, metus judicii. Sed hoc ipsi nobis grave facimus, dum cœlestia non appetimus, sed terrena tantum amamus et quærimus. Audi Sanctum Augustinum, in Psal. CXLVII. « Perversum omnino est, quem diligitis, timere ne veniat, et orare quotidie: *Adveniat regnum tuum; quod quidem nihil aliud esse videtur, quam orare ut adveniat regnum ejus, et tamen timere ne exaudiaris. Unde autem iste timor? Quia iudex venturus est; numquid invidus? Malevolus? Nihil horum prorsus. Quis natus est venturus judicare te, nisi qui venit judicari pro te?* » Hæc Augustinus.

Quarto, difficultas viæ. Sed vide quam ea trita facta est ab omni hominum genere, etate, sexu, conditione. Novimus pene ex omni hominum genere aliquos beatos. Habent theologi S. Augustinum, Divum Thomam, Divum Bonaventuram aliosque innumeros; philosophi S. Dionysium; juristæ et advocati S. Ivo; medici SS. Cosmam et Damianum; musici S. Cæciliam; ludimagistri, S. Cassianum; scribæ, S. Anselmum pictores; Lucam; aurifabri, S. Eligium; venatores, S. Eustachium; pisces, Petrum et Andream; lignarii fabri Josephum; textores S. Severum; fullones S. Menignum; sartores S. Gutmanum; sutores SS. Crispinum et Crispinianum; ephippiarii, S. Gualvardum civem Augustanum; carbonarii S. Alexandrum, pastores SS. Simeonem, Wallericum, Sozontem, etc. medici S. Servulum; duces,